

Num. 8. Et habebant capillos, sicut capillos mulierum, & dentes earum, sicut dentes leonum erant.

eorum doctrina non solum foetida est, ut jam dixi supra hoc cap. q. 3. n. 24. sed etiam mortifera, animas enecans, & occidens.

VERSIONES.

Syrus. Et similitudo illarum locustarum hæc est, similes sunt secundum similitudinem equorum paratorum ad prælium, & super capita earum est tanquam corona similitudinis auri, & facies earum, sicut facies hominis.

Arabicus. Forma autem locustarum illarum erat velut equorum stantium ad prælium.

Arias. Et similitudines locustarum, similes equis paratis.

Syrus v. 8. Et habebant capillum, sicut capillum mulierum, & dentes earum, sicut leonum erant.

Arabicus. Habebant comas sicut comas mulierum.

EXPOSITIO IV.

91. **H**æretici potentes viros sibi adiungunt. Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium. Crescit oratio, & aliquid plus revelatur de istis locustis quam antea revelatum fuerat; nam ex locustis paulatim evadunt in equos propter potentiam, ac fortitudinem magnorum virorum, quos hæretici erant decepturi, & sibi adiuncturi, & hi dicantur hæretici instar equorum veloces & robusti, semper tamen parati ad impugnandam veritatem cum tamen contra eam nunquam valeant prævalere.

92. Et super capita earum tanquam corone similes auro. Introducuntur hic hæretici, tanquam cum coronis aureis super capita, quia dum decertant, contendunt, ac resistunt veritati, nunquam se victos agnoscunt, sed victores se simulant, & mestuntur, hoc enim est similitudinem coronæ gestare, falsò se victores dicere, & tales coronas portant, non aureas, sed aureis similes juxta illud Pauli 2. Timoth. 3. num. 5. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.

93. Et facies earum tanquam facies hominum. Benedicuntur tanquam facies hominum habere, quia humanitatem, ac benignitatem per se ferunt tantum in facie, ac representatione; cum tamen veluti scorpiones pungant, & feriant; & habebant capillos sicut capillos mulierum, propter effeminatam eorum mollitiem, & turpitudinem; & dentes earum ut leonum. Leonum dentes sunt foetidi & venenosi, ut testatur Plin. l. 8. cap. 16. bene ergo harum locustarum dentes ut leonum dentes erant, quia hæretici-

QUÆSTIO X.

Quare hujusmodi locusta, quasi equi parati in prælium ad omnia deversanda habent tanquam facies hominum?

Rupertus Primò hoc loco, per hujusmodi locustas, intelligit Israëlitas, qui derelicto vero Deo, ita sunt diminuti, ut Chanaanæ respectu ipsorum, magnitudinem equorum habere viderentur, & cum de Chanaanæ sit sermo, non dicitur de eis habere coronas, sed quasi coronas, quia qui non propria virtute vincit, & niter, non meretur veiam habere coronam Rupertus Abbas, quia hujusmodi reges scilicet Chanaanorum, tanquam coronati, & non verè coronati victoribus fuerunt, quia videlicet non sua virtute illi vicerunt, sed pro peccatis suis isti homines victi sunt.

Secundò, Cornelius, Estius, Menoch, Joan. de la Haye de veris, ac naturalibus locustis locum intelligunt. Quia locusta pedibus suis insitens, quasi parata ad volandum speciem habet equi armati, & caraphracti, unde ab Italis locustæ vocantur *Cavallere* equi parvi, & hujusmodi locustæ maxime paratæ sunt ad devastandum, ac destruendum.

Tertiò de muliere lasciva, & impudica interpretatur text. D. Bernard. Senens. tom. 2. feria 6. post Dominic. Passion. art. 2. cap. 2. nam mulier in specie, ac representatione fert benignitatem humanam, at intrinsicè habet venenum scorpionis & leonum dentes, ut interficiat, & occidat, sed quomodo dicitur de hujusmodi locustis, quod erant tanquam equi parati ad prælium; quia mulier lasciva, & impudica si non concupitis fruatur, in furorem agitur, cum omnibus contendit, & cum omnibus pugnat. Patrocianatur citat. Bernard. *Lasciva mentis est, ut quanto promptior est ad carnalem delectationem, tanto amplius disposita sit ad furorem, & turbationem: sicut enim moderamen nescit in delectando, sic quoque moderamen nescit in irascendo; ideo de muliere vana; & lasciva dicitur. Ecclesiast. 25. num. 2. Non est ira supra iram mulieris. Quod insinuat. Joan. dicens. Similitudines locustarum, &c. id est in contentione, & turbationem, post lascivos, & insanabiles amores, indignatio, atque turbatio inter carnales oriri solet.*

Vera & constans sententia est ut dixi in expositione per hujusmodi locustas, ut equos paratos ad pugnam, intelligi hæreticos. Ita Beda, Albert Magn. Hugo, Gagnæus, Ribera, Viegas, Cornelius, & alii. Nam equi superbi, ac arrogantes sunt, & videntur minas intendere, sic & hæretici valde superbi ac arrogantes sunt, spumant, & erecto collo, videntur per minas cuncta terrere. Sed quomodo in eodem animali proponitur species locustæ, & equi, nam equus magno impetu in hostium fertur aciem, quid autem inapens locusta, præter ventrem nihil videtur habere.

94. Rupertus.

Qui sine propriis meritis vincit, non habet coronam.

95. Corn. Estius. Menoch. La Haye.

96. D. Bernard.

Favore lascivæ mulieris nullus resistit.

Ecclesiast. 25.

97.

Beda. Albert. Hugo. Gagnæus. Ribera. Viegas. Corneli.

Hæretici ferunt, sed inaniter impugnant Ecclesiam. Haymo.

Ecce cur hæretici assimilantur equo parato ad prælium, & tamen locusta est, quia licet cum multo fervore, in Ecclesiæ ruinam feratur, inanis tamen est ejus velocitas, & fervor, facili enim tanquam locusta confringitur. Haymo. Equus autem assimilatur omnes hæretici propter locum ubique dispersum, quia totum subitò replebunt mundum: locustis verò propter vanitatem in prælium vadunt, quia contra fidem rectam electorum pugnant, & cum juxta rationem subsistit adversus Predicatores, nequam, semper tamen irrationabiliter veritati resistant.

Nota tamen quod in his locustis nihil est verum; in eis enim notatur equorum similitudo, non veritas, & si coronas locustas videamus, non tamen veris diadematis, sed tanquam coronis, & non aureis, sed tanquam aureis; facies eorum tanquam facies hominum, &c. Itaque hujusmodi locusta nihil veri habere dicuntur, sed quid simile vero, quod falsum est, sicut enim per equum significatur robur & audacia, sic & per coronam victoria: Hæretici quamvis dicant in suis argumentis multam habere vim, & in eis se jactent victores; totum hoc falsum, & apparens est, nihil veri in habens: Auro verò charitas, & vera sapientia, verusque zelus denotatur: Hujusmodi locustæ, non aurum, sed similitudinem illius portant: Quia hæretici nil verum, sed solum fucurum, ac fictitium habent, sunt enim similes quibusdam capponibus, qui non vinum purum, sed coloti vini simile, nempe vinum aqua mixtum mentibus exhibent. Ut optimè ait Etherius Episcopus contra Elipandum. *Aurum & argentum, ait, se dicunt portare, sed mixtum est adulterium falsum est. Veniant trapezite, videant, quia mendacium est, nemo ex his accipiat, nemo amat, ne postmodum poeniteat vinum nobis porrigunt, nemo accipiat, nemo bibit, mixtum est aqua, quod paulo post confirmat ex Isaiâ 1. num. 22. Eos tanquam terribiles cappones appellabat, qui miscent vinum aqua; eo quod sapientia, & sincero mero, id est verbo Dei inspidum, & aquatum, id est terrenam atque humanam doctrinam quasi aquam miscentes vino populo intinabant.*

In hæreticis totum est falsum & fictitium.

Etherius.

Isai. 1.

99.

Facies hominum, ut dicitur in Apoc. 9. n. 6.

Isaiâ.

Ezechiel. n. 3. D. Hieron. Theod. Lyran.

stabat, à dextera leonina erat forma; à leva bovina facies, à tergo eminebat aquila, quod facile ex text. patet. *Quatuor facies uni.* Si variam morum supplectent explicat unus homo. Nunc hominem referat bonus genio; nunc leonem exprimat ira percitus, jam ut taurus cuncta cornu petat; jam verò ut Aquila lingue rapiat, nec uno diutius statu permanet; ut vitius, sic formis variat, neque enim unus sumit habitus duplex Ulysses ingenio mobili, quod oblectat Magnus Basilius ad Psal. 44. *Vide, ait, quam varia sit, & multiformis nostra mutatio; mutatur concupiscentia, &c.* Plures quam Protheus formas induit nusquam unus semper à se diversus homo: quæ humani cerebri nota est.

Notat D. Bernardus Virginem Deo sacram variare affectibus rerum plurimarum; nunc verò maxime flagrare eo studio, ut Dilecti præsentiam exquirat. *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. n. 1. Et inde maxime petit ab eo trahi. *Trabe me post te.* Ibid. n. 3. Jamque Virgo Deum invitat in hortum. *Veniat dilectus meus in hortum summi.* Cant. 5. n. 1. Modo Virgo à Deo vocata cunctatur, & ideo tripliciter vocatur. *Veni de libano, veni de libano, veni.* Cant. 4. n. 8. Jam lectulo affixa Deum abigit quodammodo, cum moras agit in aperienda janua. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa, c. 5. n. 3.* Tandem dilectum à se recedere, ac fugere exclamat. *Fuge, dilecte mi, cap. 3. n. 14.* Unde tanta rerum varietas; si ejus præsentiam maxime flagrabat, cur ad illam sic aliquando cunctatur, si nollebat ab eo divelli, sed post eum trahi, cur eum fugere exclamat; varium & mutabile semper, est fœmina ingenium, quod heri annuerat, abnuat hodie, nec uno eodemque voto vivit, sic & bonus quisque per sepe variat, D. Bernard. serm. 21. in Cant. *Vides, ait, ne illum qui in spiritu ambulat, nequaquam permanere in eodem statu, nec eadem semper facilius ate proficere.*

101.

Cantic. 1.

Cantic. 5.

Cantic. 4.

Cantic. 3. Varium & mutabile semper fœmina ingenium.

D. Bern.

QUÆSTIO XI.

Quare hujusmodi locusta cum leonum dentibus habebant capillos mulierum.

Rationem literalem jam dedi in expositione de Hæreticis est sermo quorum dentes cum dentibus leonum comparantur, & cur non potius, cum dentibus caprarum, sicut dentes dilectæ; de quibus ait sponsus: *Dentes tui, sicut greges tonsarum.* Cant. 4. n. 2. Vel ut sponsa de dentibus dilecti ait. *Vinum optimum dilecto meo ad potandum labisque, & dentibus illius ad ruminandum.* Cant. 7. n. 9. Hi sunt optimi sanæ doctrinæ concionatores, qui tanquam labia loquuntur, & veluti dentes ruminant, & auditoribus doctrinam tanquam salutarem cibum ad edendum opponunt; nam tanquam optimi dentes inserviunt, ad cibum doctrinæ frangendum; & molendum, sic explicat Beda, citat loquens. *Solent nurrices, ait, particulas panis dentibus conficere, & inter lactandum in parvulorum faucibus mirra quasi mansa immittere, donec eos panem abstractos à lacte ad esum panis perducant: sic sancta mater Ecclesia habet Doctores, qui*

102.

Cantic. 42.

Cantic. 7.

Beda. Hæretici suos auditores dilacerant ac jugulant.

Job. 41. D. Greg.

103. Voluptas carnalis crudeliter dilanians.

Aretas.

Prov. 5.

104. Mulier lasciva fœtas mordet.

D. Bernard.

105. Hæretici sunt doctrinam suam componunt.

Hæretici inconstantes. 6. Synodus Generalis.

106.

qui instar uberum, hac doctrina mollioris infundunt. At hæreticorum dentes, sunt instar leonum, qui non ruminant, nec emolliunt doctrinam ad salutem nutrimentum aliorum, sed tanquam leones venatu accipiunt prædam, ut jugulent, & dilacerent. Sic D. Gregorius Explicat illud Job. 41. n. 5. Per givum dentium ejus formido. Sic ait lib. 3. 3. Moral. cap. 29. Dentibus Leviathan, errorum magistri significantur, quia reproborum vitam mordendo dilaniant, & eos à veritatis integritate subducos, in sacrificio falsitatis maculant.

Ad nostram quæstionem dicitur in textu, quod in hujusmodi locustis facies erat tanquam hominum, & capilli instar mulierum, tamen consequenter ad præsentationem facierum dicendum videbatur capillos hominum habuisse; tamen merito capillis mulierum leonum dentes conjunxit Joannes, voluptas enim carnalis, quæ prius blanditur cum pulchritudine mulierum, earumque capillorum venustate, tamen multa cum immanitate dilaniabit, pro qua re patronus est Aretas. Sunt & muliebres, ait, capillorum casaries, tanquam contegentes seductiones, tales enim sunt & carnales voluptates qua primo suo aspectu, delectare videntur, sed ad sui ruinam inescato detrahunt. Ideo dicitur Proverb. 5. n. 3. Favus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus, novissima autem illius amara.

Secundo merito cum capillis mulierum conjunguntur leonum dentes; qui sunt mordacissimi, ac fœtidi, ut dixi in exposit. Nam mulier libidinosa, & alios ad luxuriam provocans fœtidissima, & mordacissima, & voracissima est, sic habet D. Bernard. Senens. tom. 2. feria 2. post Domin. de Passione art. 2. cap. 3. Leo, ait, est superbum animal, habet os fœtens, mordaces dentes, & voraces, per quem merito denotatur mens carnalis, & impatiens, vana superbia, cujus os fœtens est propter aliorum diffamationes, dentes mordaces habet propter murmuraciones; voraces, propter invidias, & crudeliter detractiones.

Tertio & communiter per hujusmodi locustas intelliguntur hæretici, & bene in eis describuntur dentes leonum cum capillis mulierum; quia ipsi non solum simulant humanitatem, sed etiam mulierum blanditiam, ut eos quibus detrimentum inferre moliantur, facilius insecari valeant, sicque perniciosius decipiant seque erroribus irretient; Secundo habent capillos mulierum quia instar fœminarum, sese componunt, & comunt, hoc est doctrinam suam fucato aliquo colore veritatis illinunt, vel Tertio Hæreticorum capilli fœminarum crinibus assimilantur, ut quanta sit in eorum cogitationibus, id est opinionibus, & dogmatibus inconstantia, & levitas denotetur. Pro quo facit Actio Quarta Generalis 6. Synodi Constantinopoli habita in Trullo de Hæretic. sic loquens. Quantumcumque colorare velis suum quisque errorem à luce veritatis arguitur, sicut & Apostolus gentium Ephes. 5. docet omne quod revelatur, lumen est, quia veritas semper constans, & eadem permanet: ac falsitas variatur, & sibi ipsi variando approbatur, & redarguitur esse contraria. Ex hoc enim, & sibi ipsi adversa docuisse novi dogmatis inventores offensus sunt, quia Evangelica, atque Apostolica fidei sectatores esse noluerunt.

Quarto Hujusmodi locustæ instar equorum

paratæ sunt in prælium humana facie leonum dentibus; sunt enim multi qui humana, ac amica facie simulatè prælium excitant, & leoninos dentes insigunt, dum cum non marmurare videantur crudeliter murmurant, detrahunt, & dilacerant, quorum ingenium aptè depinxit. D. Bern. term. 24. in cant. Alii autem, ait, quondam simulatè verecundia fucato conceptam malitiam, quam retinere non possunt adumbrare conantur. Videas præmitti abia suspiria sicque quadam cum gravitate, & caritate, vultu casto, demissis superciliis, & voce plangente egredi maledictionem & quidem tanto persuasivioribus; quanto creditur ab iis, qui audiunt corde invito, & magis condolentis affectu, quam malitiosè proferri, &c. Expende verbum; & quidem tanto persuasivioribus quanto creditur ab iis, qui audiunt, corde invito proferri. Pro quo facit id quod ait sapiens Ecclesiast. 18. n. 11. Si mordeat serpens in silentio: nihil, eo minus habet qui oculis detrahit. Septuaginta. Si momorderit serpens in non susurra. Alii legunt: Si mordeat serpens in non murmurare. Sicut serpens dum absque murmure valde pestiferum venenum infundit, sic qui detrahit in silentio, quando videtur non detrahete crudelissimè dilacerat.

Quinto Locustæ sese exhibent armatas tanquam equus ad prælium, ac leonum dentibus & mulierum capillis, in quibus depingitur, qui falsa confugit, qui mendosa componit donec omnia radicibus exterminet, & mendaciorum fraude corrumpat, eleganti ergo ænigmatè Joannes talis exterminatori omnia leoninis, ac pestiferis dentibus corruptipenti, ac devastanti, mulierum adjunxit capillos ac si de muliebri similitudine vires ad fallendum fugat, & ad continuandos dolos peritiam trahat; D. Prosper. 1. p. cap. 3. 6. Locustarum multiudo, ait, vexant omnia, radicibus exterminans falsarius est, multa variisque consingens, qui rodit ut locusta famam, vitam ac liberos alienos, donec totum adversus quem falsa consingit radicibus exterminet. Inde Locustarum usus est Joannes emb emate, cum mulierum capillis. O quantis malis muliebria mendacia vires addiderunt, quantis calamitatibus robur firmarunt. Certè mulier invenitur fraudis mater, falsitatis origo, doli vena, astutia officina, veritatis venenum, improbitatis auxilium.

Depravato odio cogitat Pharaos consumere populum Hebræorum: Indèque Dixit Rex Egypti obstetricibus Hebræorum, quarum una vocabatur Sephora, altera Phuo, præcipiens eis: quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus advenit: si masculus fuerit interficite eum; si fœmina reservate. Exod. 1. n. 16. Exoptabat Rex ut infortunio adscriberetur, quod ex iniqua ejus dispositione nascebatur, ut pueri bona valetudine in lucem dati, dicerentur ex utero materno mortuos exisse, & ut execrabile facinus coloraretur mendaciis, ita ut nullus improbis detestandisque desideris illud adscriberet, hoc opportunum medium excogitavit, mulieribus rem commendavit, non maleficos adhibuit, ut in aliis contra portenta Moysis usus est. Exod. 7. n. 11. & 12. Sed tantum mulieres convocat hic, agebatur enim res de mendaciis colorandis. ac fabricandis, ideo mulieres compellat de illarum in concinnandis fraudibus pericia, sperans felicissimè successurum negotium in componendo mendaciis

D. Bern. Qui in silentio murmurat crudelissimè dilacerat.

107.

Fœmina ad mendacium prompta, & ad fallendum parata.

D. Prosper.

108.

Exod. 11.

Exod. 7. Mulier astutissima ad mendacium.

mendacio. Patrocinator Lippomanus vocatis duabus obstetricibus mandat crudeliter, ut tempore partus in ipsis cellulis, super quibus mulieres pariant, masculos Hebræorum clam interficiant, ac fingant ipsos ita mortuos natos. Ad portenta faciendi malefici vocentur, ad mendacia fabricanda mulieres verò. Dum ergo falsitibus crudeliter vult obregere, & infaniam fraudibus simulare, mulieribus commisit negotium, sperans opportunè sibi rem eventuram; maxime enim expertus erat fœminas his in artibus pollere, & ad mendacia coloranda multum præstare.

109.

1. Reg. 19.

Mulier ad dolos fabricandos paratissima.

D. Basil. Scilicet.

Incredibili affectu Saul anhelabat Davidem manibus tenere, ut eum interficeret, & cum cognovisset ipsum in domo sua cum Michol adesse, misit Satellites ut Davidem caperent; admonitus David à Michol per fenestram aufugit: Tulit autem Michol statum & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus & operuit eam vestimentis. Misit autem Saul apparitores, qui raperent David, & responsum est, quod agrotaret. Reg. 19. num. 13. & 14. Non explicat Text. à quo quòd agrotaret, fuerit responsum; sine dubio à Michol datum est responsum; nam fœmina valde prompta quod non aliquis ex servis, ac famulis statum in modum ac formam viri in lectulo collocaverit, sed tantum ipse Michol Princeps ac filia Regis, nam cum esset fœmina præ cæteris in hoc munere excelebat, & fallendi damnabili prærogativa præfulgebat. Divus Basilus Seleuc. orat. 16. Persuasit, ait, quoque lectulo ut invalentibus simulationem aduaret: imago namque in viri speciem conformata & in lectulo collocata forme fictione videntes eludebat.

Apoc. 9. n. 9. Et habebant loricas, sicut loricas ferreas; & vox currus equorum multorum currentium in bellum.

10. Et habebant caudas similes scorpionibus, & aculei erant in caudis earum, & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.

VERSIONES.

9. Erant etiam illarum peccora loricata de lorice ferreis, & sonitus illarum sicut sonitus equorum.

Et habebant thoracas, sicut thoracas ferreas.

Et sonitus alarum earum, sicut sonitus curruum.

10. Vox alarum earum sicut rotæ curruum.

11. Currus equis multis cur-

rentibus ad bellum. Syrus n. 10. Habens caudas, & aculeos in caudis suis, habent potestatem nocendi.

Arias. Habent caudas similes scorpis, & aculeos in caudis suis.

Arabicus. Potestatem habent ad lædendum, erant aculei quibus pungerent homines & cruciarent eos.

EXPOSITIO V.

Prima allegoria prosequitur sacra revelatio exprimere obstinatam prævaricationem Hæreticorum contra Ecclesiam, quæ in his locustis depingitur. Et habebant loricas sicut loricas ferreas. Talibus loriceis ferreis eorum obdurata, & obstinata præcordia contra veritatem ostenduntur, & non dicitur simpliciter loricas ferreas; sed sicut. Ut observata allegoria locustarum ejus retineatur decorum.

Et vox alarum earum, id est stridor; quem edunt alarum concussione. Sicut vox, seu strepitus curruum equorum multorum currentium in bellum. Magna curruum copia ad bellum parata multarum rotarum impetu, ac diversis stridoribus resonat, adunato tamen contra adversarios impetu fertur, sic & hæretici in confusione discepcionum, & verborum altercatione discordes, ad impugnandum tamen Ecclesiam ac Catholicam veritatem concordēs inveniuntur.

Et habebant caudas similes scorpionum: Hæretici velut scorpiones secundum faciem in verbis suis bonam exhibent præsentiam, sed latenter, ac insidiosè per caudam insigunt venenum. Et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Bis hoc dixit sacra revelatio modo hic & supra vers. 5. quod magnum importat mysterium; nam hic dicitur tantum nocere mensibus quinque. Ac supra vers. 4. & 5. Nocere mensibus Magna persecutio. iis scilicet qui non habent signum Dei vivi in frontibus suis. Ac proinde hæretica pravitas seu persecutio Antichristi; quosdam suo pravo erroris veneno inficiens, eos finaliter deficere facit à fide; alios verò lædit gladio interficiens, aliosve malis, & pœnis persequens: hoc secundo modo multa ex parte comprehendit signatos Dei, ut observavit Haymo, qui corpore frequenter vexantur.

Sunt ergo hi quinque menses alii prioribus, nec accipiendi sunt determinatè, sicut nec illi pro tot mensibus, sed ut stant pro tempore illo turbido, quo instat diluvii, illa inundatio malorum exitit; nam diluvium quinque menses duravit, ut jam supra notavi q. 7.

110.

111.

112.

Magna persecutio.

Haymo.

113.